MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80200-8

AUTHOR:

KLEE, HERMANN

TITLE:

DE EXITU VALENTIANI II AUGUSTI

PLACE:

MONASTERII GUEST.

DATE:

1892

Master Negative #

91-80200-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Klee, Hermann, 1866-
De exitu Valentiniani II Augusti et de Eugenii imperii initiis, dissertatio ... quam ... publice defendet Hermannus Klee... Monasterii Guestphalorum, typis I. Krickii, 1892.
32 p. $21\frac{1}{2}$ cm.

Thesis. Münster.

Volume of theses.

 Another copy.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/28/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE

EXITU VALENTINIANI II AUGUSTI

ET

DE EUGENII IMPERII INITIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS KLEE

CAND. PHIL. ET HIST.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

Arnoldus E[illegible]uard, cand. rer. nat.
Henricus W[illegible]s, cand. phil.
Hubertus S[illegible]edt, cand. phil.

MONASTERII GUESTPHALORUM

TYPIS IOSEPHI KRICKII

MDCCCLXXXXII.

Scriptores, qui de exitu imperatoris Valentiniani II et de Eugenii imperii initiis scripserunt, partim ex orientali imperio, partim ex occidentali nati erant. Et inter orientales scriptores, qui quidem plures erant, et inter occidentales alii fidem christianam profitebantur, alii paganorum sive gentilium sacra colebant. E numero paganorum orientalium illius temporis Eunapius et Zosimus sophistae maxime memorabiles sunt, viri suae religioni admodum dediti, Theodosio et Valentiniano II infensi, quamquam Zosimum auctorem haud aspernandum esse constat.

Christianorum scriptorum maior pars fidei orthodoxae, Philostorgius Arianorum favebat; quam ob rem non solum Theodosium, Gratianum, Valentinianum, orthodoxos imperatores christianos, sed etiam Eugenium et Arbogastem paganorum defensores calumniatur, meritis eorum obtrectans, vitia amplificans. Nihilominus Philostorgius, cum de multis rebus ceteris uberius loquatur, scriptor gravissimus habendus est et valde dolendum, quod libri eius integri non supersunt.

Inter illius temporis scriptores catholicae fidei studiosos Socrates et Sozomenus excellunt, qui, licet christiani, res gestas tamen non admodum cupide pertractarunt; neque aliter Rufinus, qui Eusebii Pamphili historiam ecclesiasticam perpolivit ac confecit.

Scriptorum occidentalium, qui de Valentiniano II et de Eugenii imperii initiis tradiderunt, maxime memoratu digni sunt Symmachus paganus et Orosius et Ambrosius, antistites christiani.

Symmachus, praefectus urbi, princeps legationis senatus Romani, quae anno 384 a Valentiniano II aram Victoriae frustra quidem repetivit, epistulis ad nobiles spectatosque viros scriptis, multa ad cognitionem illorum temporum affert. At Orosius, presbyter Hispanus, qui Augustino auctore libros historiarum VII ad fidem christianam defendendam scripsit, acriter in idololatriam invehitur eiusque defensores, Eugenium et Arbogastem, nimis calumniatur. Denique Ambrosius, praestantissimus ille episcopus Mediolanensis, qui omnium fere rerum Theodosio imperante gestarum particeps fuit, multa de ea aetate, quam tractabimus, refert. Graves sunt eius epistulae, quas Theodosio, Valentiniano II, Eugenio misit, gravior «Consolatio de obitu Valentiniani», quo scripto multa atque insignia nobis declarantur. Neque minus huc pertinet: «Vita St. Ambrosii» a Paulino notario scripta, qua imprimis Eugenii imperium illustratur. Haec de rerum cognitionis fontibus sufficiant.

Magnas ac validas res publicas everti novasque succedere praeteritis, identidem hominum memoria ac litteris traditum semperque studio ac doctrina pertractatum est. Cum aliae, tum illa eversio memoratu est digna, quam gentium migrationem appellamus et qua anno 378 p. Chr. n. apud Adrianopolim et exercitus Romanus et ipse imperator Valens perierunt; Gothi barbari victores imperii orientalis agros passim pervagantes, omnia caede atque incendiis vastabant nomenque Romanum interiturum videbatur, cum Gratianus, Valentiniani primi filius maior, qui in occidentis partibus regnabat, Theodosium, ducem belli peritum ac strenuum, imperii consortem sibi asciscit, eique orientis procuratione permissa sibi ac fratri Valentiniano partes occiduas reservat. Theodosius Gothis devictis et in Thracia[1]), ut ibi finibus imperii praesidio essent collocatis, ab episcopo quodam fidei catholicae dedito baptizatus paganos et haereticos magnis suppliciis persequi coepit.

1) Quae Iordanes eloquitur, caput 28. «Defuncto ergo Athanarico cunctus eius exercitus in servitio Theodosii imperatoris perdurans, Romano se imperio subdens, cum milite velut unum corpus effecit.»

Haud aliter Gratianus in occidentali imperio regnat. Nam ubi primum imperium capessivit, appellationem illam illustrem «pontificis maximi» deposuit[1]); praeterea et alia templa statuasque deorum subvertit et aram Victoriae ab imperatore Augusto in curia positam[2]), quamvis senatores pagani et Symmachus potissimum, vir doctus ac praenobilis repugnarent, ex illa removit. Deinde interioribus imperii rebus constitutis, Germanos hostes a finibus propulsavit, et validissimos fortissimosque eorum exercitui suo adiunxit. Quo facto duos Francorum duces, quibus munera dederat, Bautonem et Arbogastem[3]), viros militiae gnaros, iam Valenti patruo contra Gothos auxilio miserat; his rebus autem factum esse ferunt, ut ipse imperator Gratianus, cum Germanis admodum faveret atque adeo vestimento barbaro indutus in publicum prodire conaretur[4]), Romanis invisus evaderet. Quo intellecto Maximo usurpatori ex Britannia exorto contigit, ut eum per Andragathium ducem proditione magis, quam vi armorum perimeret. Theodosius vero hoc cum comperisset, Maximum ea lege imperatorem esse constituit, ut Valentinianum puerum Gratiani fratrem iuniorem, cui Ambrosius, episcopus Mediolanensis, tum prospiciebat, in Italia regnare pateretur; qui anno 367 admodum puer a militibus invito Gratiano imperator appellatus ab eoque consortis loco acceptus Mediolani tunc degebat, ab Iustina matre et Ambrosio tutoribus servatus ac custoditus. Nihilominus anno 387 Maximus

1) Zosimus IV, 36. *Τῶν δὲ ποντιφίκων κατὰ τὸ σύνηθες προσαγαγόντων Γρατιανῷ τὴν στολὴν, ἀπεσείσατο τὴν αἴτησιν, ἀθέμιτον εἶναι Χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας.*

2) Apud statuam Victoriae Tarento ereptam et forma gradivam per quadringentos annos a senatu sacrificatum esse, Suetonius (I. 1, 35.) his verbis explicat: «Quo autem lecti probatique et religiosius et minore molestia senatoria munera fungerentur, sanxit, (Augustus) ut prius quam consideret quisque! thure ac mero supplicaret apud aram eius dei, in cuius templo coiretur».

3) Eunapius: c. 53. *Ἀβρογάστης Φράγγος, δευτεραγωνίστης τυγχάνων Βαύδωνος.*

4) Gratianus, dum exercitum negligeret et paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, veteri ac Romano militi anteferret adeoque barbarorum comitatu et prope amicitia capi, ut nonnumquam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitavit. (Paulus Aquileiensis II. 11, 16.)

Valentinianum Augustum Italia expulit; qui in orientem refugiens et a Theodosio paterna pietate susceptus, brevi imperium recepit; Maximus autem apud Aquileiam a Theodosio fusus atque fugatus, supplicio affectus est. Valentinianus II Maximo interempto, auxilio potissimum Arbogastis, ducis Francorum, qui ei adulescenti a Theodosio adiutor quasi ac tutor additus erat, toto imperio occidentali potitus est. (Eunapius: *Διέφερε γοῦν τῶν ἐντελῶν στρατιωτῶν ὅσον γε εἰς τὸν πλοῦτον οὐδέν· καὶ διὰ τοῦτο ἐδόκει τῷ βασιλεῖ Θεοδοσίῳ χρήσιμος· ὅς τε πρὸς τὸν Οὐαλεντινιανοῦ τρόπον καὶ τό παρ' ἑαυτοῦ βάρος ἐπετίθει.*)

Valentinianus iunior quomodo imperium gesserit et qualiter vitam degerit, ab aliis scriptoribus aliter narratur. Laudat eum Ambrosius, episcopus ille Mediolanensis, qui imperatorem iuvenem commovit, ut paganos aram Victoriae restitui cupientes repudiaret (anno 384).[1] Scribit enim ad eum in epistula decima septima, quae Symmacho adversatur, haec: Imperatorum esse religionem tueri; templa, statuas, sacrificia instauranda non esse; nullam ergo illorum habendam rationem, a quibus quidpiam contra fidei christianae decus flagitetur. Alia epistula (quae dicitur duodevicesima) principem hortatur, ne Symmacho[2]) restitutionem sumptus caerimoniarum postulanti obsequatur his fere verbis: «Cum vir clarissimus, praefectus urbis Symmachus, ad Clementiam tuam rettulisset, ut ara, quae de urbis Romae curia sublata fuerat, redderetur loco; et tu, imperator, licet adhuc in minoris aevi tirocinio florentibus novus annis, fidei tamen virtute veteranus, obsecrata gentilium non probares; eodem puncto libellum obtuli.» Quocirca evenit, ut imperator paganis nihil concederet; quin etiam exemplum Theodosii et Gratiani fratris secutus, anno 391 una cum Theodosio, Ambrosio haud scio an adiuvante, Mediolani hanc legem instituit:

1) Hanc legationem senatus Romani et Symmachi ab alia discernendam esse, quae anno 392 aram repetivit, ex epistula Ambrosii 57 ad Eugenium missa cognoscitur.

2) Symmachum vero ab imperatore neglectum non esse, epistula sua 63 ad Richomerem demonstratur: Nam iussu domini nostri Valentiniani cum multis amplissimae curiae proceribus accitus, advicem quietis domesticae fruor publicis gaudiis.

Nemo se hostiis polluat, nemo insontem victimam caedat, nemo delubra adeat, templa perlustret et mortali opere formata simulacra suscipiat, ne divinis atque humanis sanctionibus reus fiat..... Iudices quoque hanc formam contineant, ut si quis templum adoraturus intraverit, quindecim pondo auri ipse protinus inferre cogatur. Dat. III Cal. Mart. Mediolani Tatiano et Symmacho conss. (Codex Theodosianus. Tom. VI, Lib. 16, 10. 10.) Severum profecto edictum, quo acrius ne Theodosius quidem postea posuit.[1]) Hanc vero legem ad occidentalem imperii partem potissimum spectare, eo satis ostenditur, quod Albini praefecti praetorio nomine inscribitur, neque vero ei, ut idololatriae Romanae finem faceret, contigit.

Sed multi iidemque graves spectatique viri ac gentiles praesertim Symmachus et Flavianus, e consistorio imperiali Ambrosium removere et suapte parte apud principem multum valere studuerunt; id quod his argumentis apparet. Symmachum, praefectum urbis, Flaviano, quorum uterque veteri deorum cultui deditus erat, familiarem fuisse constat.[2]) Nonnumquam eum appellat: fratrem. Flavianum postea extemplo Eugenii usurpatoris partes secutum esse, et ex aliis et e Sozomeno potissimum (Hist. eccl. VII, 22) cognoscitur. Atqui Symmachus amicus erat Richomeri, cui multas epistulas misit; ergo etiam Arbogastem noverat, qui cum Richomere, comite Romano, quocum in orientis partibus stipendia meruerat, amicitia firma coniunctus erat. Arbogastem vero in Italia, cum adversus Maximum dimicaretur, cum Richomere convenisse, e Zosimo cognoscitur, qui Eugenium ut hominem eruditum atque haud inutilem Arbogasti per Richomerem commendatum esse, his verbis refert: *Πρὸς τοῦτον ὁ Ῥιχομήρης οἷα σφόδρα χαριέντα καὶ ἀστεῖον ἔχων οἰκείως Ἀρβογάστῃ συνίστησιν, ἔχειν ἐν*

1) Neque minus Valentinianum in Iudaeos invectum esse vero hoc codicis Iustinianei edicto demonstratur: Ne quis christianam mulierem in matrimonium Iudaeus accipiat; neque Iudaeae Christianus coniugium sortiatur; nam si quis aliquid huiusmodi commiserit, adulterii vicem commissi eiusmodi crimen obtinebit; libertate in accusandum publicis quoque vocibus reclamata. Dat. Thessal. impp. Valentiniano, Theodosio et Arcadio, Cynegio. praef. praet.

2) Symm. ep. III, 58: Amo et suspicio virtutes tuas; Flaviano meo.....

τοῖς συνήθεσι καὶ φίλοις αἰτήσας ὡς οὐκ ἐσόμενον ἄχρηστον, εἴ ποτε πρᾶγμα φιλίας ἀληθοῦς δεόμενον ἀνακύψειεν. Atque ipsis litteris Symmachi Eugenium ab illo magni aestimatum esse audimus.[1]) Porro Arbogastem semper idololatram fuisse, ab Orosio discimus.[2]) Ira igitur et odio eum in Ambrosium episcopum, qui christianae religioni valde studebat, commotum, in Symmachum autem benevolo animo fuisse necesse est.

Quae factio, cum idololatriam publice tolerari vellet, neque a Theodosio, neque a Valentiniano II imperatoribus restitutionem sacrorum gentilium et imprimis arae Victoriae impetravit. Itaque pagani illo tempore inter se id contendisse videntur, ut illum Italia removerent et in Galliam perducerent; quo facto facile sibi fore sperabant, ut imperator iuvenis illic ab Arbogaste rectus atque ab Ambrosio secretus precibus suis satisfaceret.

Valentiniani ingenium et mores bona ac laudabilia fuisse, Ambrosius in «Consolatione de obitu Valentiniani» multis verbis declarat: Imperatorem nimis mature e vita ereptum esse; totam Italiam atque adeo barbaros mortem eius lugere; annorum immaturitatem et consiliorum senectutem illi fuisse; laudat praecipue eius religionem, clementiam, pietatem erga fratrem et sorores. Similiter Sozomenus de imperatore iudicat: *Φασί γε μὴν τοῦτο τὸ μειράκιον εὐγενείᾳ σώματος, καὶ βασιλικῶν τρόπων ἀρετῇ ὑπερ φυῶς δόξαι τῆς ἡγεμονίας ἄξιον, καὶ οἷος μεγαλόψυχος, καὶ δικαιοσύνῃ ὑπερβαλέσθαι τὸν αὐτοῦ πατέρα, εἰ παρῆλθεν εἰς ἄνδρας* (Lib. VII, cap. 22). Neque minus Eunapius paganus ei *τρόπον ἀρρηνωπόν* attribuit (cap. 53).

Contra Philostorgius Arianus, quem de Valentiniano II nimis cupide iudicasse demonstravimus, eum ludis bestiarum et venationibus intentum ac cupiditatibus immoderatum inducit.[3]) Etiam Rufinus, presbyter catholicus, «animis ardentibus» eum fuisse dicit.

1) Epistula ad Richomerem. 61: Sed denuo nanctus Eugenii fratris mei copiam, scripta duplicavi. 60: Optatus adventus fidelissimam mihi obtulit facultatem officii deferendi; nam dominus et frater meus Eugenius.....

2) Oros. VII, 35: «Nixus etiam praecipuo cultu idolorum.»

3) «*Ἄρκτων καὶ λεόντων χρήσασθαι. Αὐτοῦ δὲ τοῦ ζῆν καὶ τῆς ἀρχῆς καὶ τῶν ἐπὶ τοῖς θηρίοις ἄθλων ἀπεφθάρη. Ἦν δὲ καὶ τὸν θυμὸν ἀκράτωρ.*» Hist. eccl. XI.

Valentiniani mores, licet saepissime suaves fuerint, tamen interdum fervidos ac severos fuisse, cum multis aliis, quae postea evenerunt, tum hoc potissimum apparet, quod cum his religionibus parceret atque faveret, alias persequebatur.[1]) Orthodoxorum et Arianorum fautor, vexator Manichaeorum et Iudaeorum et gentilium exstitit. Vultus autem illius monetis adumbrati pueriles ac pertinaces apparent.

Duabus igitur partibus de imperio contendentibus, cum primo Ambrosii superior esset, postea, cum Valentinianus Mediolano egressus in Galliam iter fecisset, illic altera factio viribus antecessit. Ita evenit, ut princeps, qui ab illis forsitan ut eo veniret allectus erat, servus quasi Arbogastis fieret. Hunc enim per Gallias infinita potestate dominatum esse constat, cum et Franci populares, qui postea ipsum valde adiuverunt, haud procul abessent et exercitus Romanus ibidem collocatus, et ex barbaris compositus, fidelissimus esset.[2]) Imperator autem ab Arbogaste comite venationibus illis a Philostorgio memoratis oblectatus ac distentus fuisse mihi videtur. Qua in re Sulpicio Alexandro[3]) auctore utor, qui hoc modo disserit: «Cum diversa in Oriente per Thraciam geruntur, in Gallia status publicus perturbatur. Clauso apud Viennam palatii aedibus principe Valentiniano paene infra privati modum redacto, militaris rei cura Francis satellitibus tradita, civilia quoque officia transgressa in coniurationem Arbogastis, nullusque ex omnibus sacramentis militiae obstrictis repperiebatur, qui familiari principis sermoni aut iussis obsequi auderet.»

1) Pro Arianis 386: His, qui sibi tantummodo existimant, colligendi copiam contributam, si turbulentum quidpiam contra Nostrae Tranquillitatis praeceptum faciendum esse temptaverint, ut seditionis auctores pacisque turbatae ecclesiae maiestatis capite ac sanguine sint supplicia luituri. Dat. X. Cal. Febr. Const. Honorio et Euodio coss. (Cod. Theod. VI. 16, 3.)

In Manichaeos 389: Quicunque sub nomine Manichaeorum mundum sollicitant, ex omni quidem orbe terrarum pellantur.... Dat. XV. Cal. Iul. Romae Timasio et Promoto conss. (Cod. Theod. VI. 16, 4.)

2) Zos. IV. 53: «*Ὠχύρετο γὰρ ὁ Ἀρβογάστης τῇ τῶν στρατιωτῶν ἁπάντων εὐνοίᾳ.*»

3) Huius scriptoris reliquiae traditae nobis sunt in Gregorio Turonensi II, 9.

Quae condicio imperatoris Ambrosium non fugit. Itaque in Galliam proficisci maturavit[1]), accitus a Valentiniano, qui ab ipso baptizari volebat; invitare eum in animo habuit, ut in Italiam veniret: Caesarem et comitem inter se reconciliare studebat, quin etiam vadem fidei se haberi apud comitem volebat; quae Ambrosius in Consolatione his fere verbis explanat: «Quanta ego cura inter te et comitem tuum, quanta sedulitate concordiam et gratiam refudissem! quam me ipsum pro tua obtulissem fide, quam in me ipsum eos recepissem, a quibus ille se timere dicebat! (Arbogastes igitur eos, qui ab altera parte stabant, e medio tollebat; qui Romani barbari hominis potentiae invidisse videntur.) Certe si comes non esset inflexus, tecum remansissem.» (Cons. 27.) Neminem autem ad reconciliandos Caesaris et comitis animos episcopo magis idoneum fuisse, et quanto in pretio apud ipsum comitem Ambrosius fuerit, ex iis patet, quae in huius vita narrat Paulinus.[2])

Quae fuerit condicio Valentiniani Augusti, quanta Arbogastis potentia, supra expositum est. Itaque iam nobis dicendum erit de causis, quae mortem imperatoris adulescentis acceleraverint. Ac primum quidem memoratu dignum est, paganos Romanos legatis ad imperatorem missis denuo restitutionem arae Victoriae aliorumque sacrorum petivisse, id quod iam antea duae legationes, altera a Valentiniano II anno 384, altera a Theodosio anno 388[3]) frustra repetiverant. Tunc vero paganos imperatorem christianum propter Arbogastis dominationem et auctoritatem sibi petentibus satisfacturum sperasse verisimile est. Quo facto imperator et consistorium imperiale consilium inierunt, utrum, quae illi poscerent, concederent an negarent. Non solum gentiles, ut Arbogastes,

1) «Iam superabam Alpium iuga.» Consol. 26.

2) Paulini vita St. Ambrosii 30: (Arbogastes cum) «respondisset, nosse se virum et diligi ab eo atque frequenter cum illo convivari solitum, audivit: Adeo vincis comes, qui ab illo viro diligeris.»

3) Epistula 51 ad Eugenium. Anno 388 legationem ad orientis imperatorem missam repudiatam esse Baronius conicit evenisse, cum post Maximum devictum rediit Mediolanum Theodosius, ad ethnicorum postulata benigne audienda post tantam victoriam, ut ipsi sibi persuadebant, magis paratus.

verum etiam christiani quidam rationibus ad rem publicam spectantibus commoti instaurationem arae et sacrificiorum permittendam esse credebant. (Cons. 19.) Arbogastes enim, quem studiis paganorum semper favisse certum est quemque tunc etiam illis consensisse Ambrosius[1]) testatur; ea de causa id egisse videtur, ut imperium religionum dissensionibus debilitatum in barbaros finibus imminentes concordia restituta confirmaret ac tueretur. Valentinianus autem, sive studio religionis christianae, sive odio in Arbogastem, hominem imperiosum, sive aliis causis commotus, omnibus precibus Arbogastis eiusque sociorum obstitit. (Ambr. Cons. 19 «Arguebat perfidiae christianos, gentilibus obviabat dicens: Quod pius frater eripuit, quomodo a me putatis esse reddendum.»)

Iam antea inter imperatorem cuius animus iuvenili ardore fervens, ministris se inferiorem esse aegre ferebat, eiusque comitem dissensionem et simultatem fuisse constat; qua ratione illi dissenserint, Zosimus his fere verbis explicat (IV, 54): *Πρὸς ταῦτα δυσανασχετῶν ὁ Οὐαλεντινιανὸς ἀντέτεινε μέν πολλάκις, ἤνυε δὲ οὐδέν· ὑποτετάχθαι δὲ τούτῳ περαιτέρω μὴ φέρων, ἐπειδὴ καθήμενος ἐπὶ τοῦ βασιλείου θρόνου τὸν Ἀρβογάστην ἐθεάσατο προσιόντα, δριμύτερον ὑποβλέπων, δέδωκεν αὐτῷ γράμματα τῆς ἀρχῆς παραλύοντα. ὃ δὲ ἀναγνούς οὔτε δέδωκάς μοι’ φησί τὴν ἀρχὴν οὔτε ἀφελέσθαι δυνήσῃ. καὶ ταῖτα εἰπὼν διαρρήξας τε τὸ γραμμάτιον, ἀπιὼν ὤχετο· τότε δὴ λοιπὸν οὐκ ἐν ἀπορρήτῳ τὰ τῆς ὑποψίας ἐτρέφετο, φανερά δὲ παρὰ πᾶσι τὰ τῆς πρὸς ἀλλήλους αὐτοῖς ἐγίνετο δυσμενείας.* Valentinianus a suis desertus, multis ac supplicibus litteris a Theodosio petivit, ut sibi adversus comitem praepotentem opitularetur; quin etiam ad illum confugere consilium cepit.[2])

Aliam dissensionis causam Philostorgius affert; XI, cap. 1: *Διαλεγόμενος γάρ ποτε κατὰ τὸ παλάτιον τῷ Ἀρβογάστῃ, ἐπείπερ αὐτὸν οἱ λόγοι πρὸς ὀργὴν ἀνέσειον, ξίφος ὥρμησε κατὰ στρατηγοῦ*

1) «His urgentibus quos revereri posset.» Cons. 52.

2) Zosimus IV, 54: *Καὶ ὁ μὲν Οὐαλεντινιανὸς συνεχέσι πρὸς τὸν βασιλέα Θεοδόσιον γράμμασιν ἐχρῆτο, τὴν κατὰ τῆς βασιλείας ἀλαζονείαν τἀνδρὸς ἐξαγγέλλων, καὶ βοηθεῖν παρεκάλει, δραμεῖσθαί πρὸς αὐτὸν, εἰ μὴ τάχιστα τοῦτο ποιήσειεν ἐπομνύμενος.*

σπάσασθαι· κωλυθεὶς δέ (ὁ γὰρ δορυφόρος ἐπέσχεν, οὗ τὸ ξίφος ἕλκειν ἐπεβάλλετο), κατὰ τὸ παρὸν λόγοις μὲν ἐπειρᾶτο τῆς ὑπονοίας τὸν Ἀρβογάστην ἀπάγειν. Ὁ δὲ διὰ τῶν λόγων τὴν ὑπόνοιαν αὐτοῦ μᾶλλον εὗρεν εἰς ἀκρίβειαν μεθισταμένην γνώσεως. Καὶ γὰρ ἐπερωτήσαντι τῆς τοσαύτης ὁρμῆς τὴν αἰτίαν, ἑαυτὸν διαχρήσασθαι Οὐαλεντινιανὸς ὑπεκρίνατο, διότι βασιλεύων οὐδὲν ὧν ἂν βούλοιτο πράττει. Denique Sozomenus: *Οὐαλεντινιανὸς ἐχαλέπαινε πρὸς πολλὰ τῶν ἐκείνοις δοκούντων.*[1]) Quibus rebus sequitur inter imperatorem et comitem rixam diu occultam in controversiam apertam mutatam esse; iam ad manus perventum erat; iam imperator Romanus, qui comitem suum munere privare volebat, id adeo non potuit, ut ab illo etiam lacesseretur atque illuderetur.

Arbogastes vero persuasum sibi habebat, imperatorem, quem aetatem corroboratam assequi videbat, non ita facile regi posse, ut antea. Itaque eum prohibere studebat, ne in Italiam obviam Ambrosio, qui Alpes iam superabat, proficisceretur; caesarem autem consilium eundi in Italiam agitavisse, ex Ambrosii consolatione de obitu cognoscitur: «Confirmatum iam hoc (iter) erat, ecce postridie litterae de instruendis mansionibus, invectio ornamentorum regalium aliaque eiusmodi, quae ingressurum iter imperatorem significarent.» cap. 24. Arbogastem vero, cum tyrannidem admodum duram in principem suum exerceret, futurum praevidisse certum est, ut si imperator in Italiam traiceret, amicorum ac maxime Theodosii, Gallae sororis mariti ac paterni quasi defensoris, opibus adiutus acceptarum iniuriarum poenas repeteret, id quod antevertendum ipse putavit.

Imperatorem autem spes vexationes se evitaturum fefellit. Nam cum legationem gentilium identidem memoratam repudias-

1) Aliter quoque Ioannes Antiochenus, quem Eunapio et Zosimo usum esse apparet, scripsit: c. 187 *Ἀρβογάστης γὰρ πολλοὺς τῶν ἐν ἀξιώματι παρὰ τὴν τοῦ βασιλέως βουλὴν διεχειρίζετο· καὶ τούτους οὐ μόνον ἀγνοοῦντος τοῦ κρατοῦντος, ἀλλὰ καὶ κωλύοντος. Ἐν οἷς καὶ τὸν Ἁρμόνιον, ὃς Ταύρου ἦν παῖς, τοῦ τὴν ὕπατον διέποντος· ἐπειδὴ δὲ τὸν Ἀρβογάστην ἐλύπησεν, ὁ μὲν ἐπὶ τὸ ξίφος ἔτρεψεν, ὁ δὲ Ἁρμόνιος, τῷ βασιλεῖ τὸ σῶμα παραδοὺς, σὺν τῇ ἀλουργίδι κατετέμνετο· ἐκ τούτου πολλὴ πρὸς τὸν στρατοπεδάρχην καὶ τὸν βασιλέα γέγονεν ἡ ὑπόνοια.*

set, altero die exanimatus reppertus est (Cons. 22 «Ante diem mortis templorum privilegia denegavit»). Quoniam vero scriptores et christiani et pagani de ea morte, qualiter evenerit, variant, ea quae tradunt, paucis verbis ascribam. Ac primum quidem Socrates in Hist. eccl. V, 25 ita disserit: «*Βουλεύουσιν οὖν ἄμφω φόνον κατὰ τοῦ βασιλέως Οὐαλεντινιανοῦ, τοὺς ἐπικοιτωνίτας εὐνούχους ἐπεισελθόντες. οἳ δὲ ὑποσχέσεις μειζόνων, ἢ εἶχον ἀξιωμάτων δεξάμενοι καθεύδοντα τὸν βασιλέα ἀπέπνιξαν.*» Similiter Sozomenus his verbis rem tractat: «*Καὶ ὁ μὲν Θεοδόσιος ἐν εἰρήνῃ τὴν πρὸς Ἕω ἀρχομένην ἰθύνων ἐν τούτοις ἐσπούδαζε, καὶ ἐπιμελῶς μάλα τὸ θεῖον ἐθεράπευεν. Ἐν τούτῳ δὲ ἀγγέλλεται Οὐαλεντινιανός ὁ βασιλεὺς ἀγχόνῃ ἀπολωλέναι. Ἐλέγετο δὲ ταύτην αὐτῷ καττύσαι τὴν τελευτὴν διὰ τῶν θαλαμηπόλων εὐνούχων ἄλλους δέ τινας τῶν εἰς τὰ βασίλεια, καὶ Ἀρβογάστην τὸν ἐπὶ τῶν αὐτοῦ στρατευμάτων τεταγμένον.*» VII, 22. Orosius autem, qui Arbogastem necis auctorem esse dicit (VII, p. 560) et Epiphanius c. 20,10 tradunt, Valentinianum strangulatum et laqueo suspensum esse; qua in re Epiphanii relatio ideo memorabilis est, quia diem mortis accuratissime perscribit: «*Ἐφ' ὧν ἐτελεύτησεν ὁ Οὐαλεντινιανός ὁ νεώτερος, υἱὸς Οὐαλεντινιανοῦ τοῦ μεγάλου, εὑρεθεις ἄφνω ἐν τῷ παλατίῳ πεπνιγμένος, ὡς λόγος, ἐν εἰδοῖς Μαίαις, πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς Πεντεκοστῆς, ἐν ἡμερᾳ Σαββάτου.*»[1]) Verbosior hac in re Philostorgius: «*Ὕστερον δὲ ἐν Βιέννῃ τῆς Γαλλίας ἠριστηκότα τὸν βασιλέα, καὶ μεσούσης ἡμέρας κατὰ τὰ ἔρημα τῶν βασιλείων ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸ χεῖλος, οἷς ἐματαιοσπούδει καλινδούμενον θεασάμενος, πέμπει τινὰς κατ' αὐτοῦ τῶν ὑπασπιστῶν. Οἳ δὲ τὸν δείλαιον χειρῶν ἰσχύι καὶ γνώμης ἀποπνίγουσιν ἀγριότησιν, οὐδὲ τῶν ὑπηρετουμένων τῷ βασιλεῖ παρόντος. ὁ γὰρ καιρὸς αὐτοὺς ἀριστᾶν μετεπέμπετο. Οἳ μέντοι γε τοῦτον ἀποπνίξαντες, ἵνα μὴ τὸ παραυτίκα πρὸς ζητησίν τινες χωρήσωσι τῶν ἐργασαμένων, τὸ ἡμιτύβιον αὐτοῦ τῷ τραχηλῷ περιελίξαντες, ἀναρτῶσιν, ὡς δι' αὐτοῦ γε τῇ οἰκείᾳ γνώμῃ ἀπαγξαμένου.*» Lib. XI, c. 1.

1) De tempore mortis Idatius (Fasti, Chronicon 14) et Marcellinus pauca addunt. Idatius in fastis annum, quo imperator obiit, accurate significat: «Arcadio Augusto III et Rufino coss. Valentiniamus iunior apud Viennam est interfectus.»

Tum Rufinus cautius ita loquitur II, 31: «Interea Valentinianus in occiduis partibus rem publicam gerens, causis etiam nunc latentibus laqueo vitam finivit. Sed hoc quidem dolo ducis sui Arbogastis factum confirmabant idque quam maxime publica tenebat opinio. Alii quidem a commisso scelere ducem alienum dicebant, sed causas praestitisse, quibus in hoc adolescens animi indignati cogeretur, quod minus ei, tamquam per aetatem nondum valido, libera de omnibus indulgeret imperia. Fuere tamen nonnulli sacerdotes, qui pacis ab eo, qui post creatus est, legatione suscepta immunem esse ducem a mortis scelere apud Theodosium testarentur.» Porro Aurelius Victor ab Eugenio Arbogastis opibus freto Valentinianum Augustum necatum esse tradit.[1]) Verum Prosper Aquitanus Eugenium favore Arbogastis confisum imperium sibimet usurpasse dicit. Quo facto Valentinianum ad vitae fastidium nimia Arbogastis magistri militum austeritate adductum, laqueo apud Viennam periisse; quibus verbis imperatorem vim sibi ipsi intulisse designatum videtur esse. Haud aliter Augustinus in libro illo praeclaro: «De civitate Dei» rem perscribit: «Valentiniano sive per insidias, sive alio quo pacto exstincto» (V, 26).[2]) Denique quae Zosimus ab illis discrepantia affert, ascribam: IV, 54 «*Τῷ βασιλεῖ τοίνυν ἐν Βιέννῃ Κελτικῇ πόλει τὰς διατριβὰς ποιουμένῳ καὶ περὶ τὸ ταύτης τεῖχος ἅμα τισὶ τῶν στρατιωτῶν παιδιαῖς ἐνασχολουμένῳ καὶ μηδὲν τοιοῦτον ἔχοντι κατὰ νοῦν, ἐμπεσών, παίει καιρίαν καὶ διαφθείρει. πάντων δὲ σιωπῇ τὸ τολμηθὲν ἐνεγκόντων διά τε τοῦ ἀνδρός τὸ ἀξίωμα καὶ τὴν ἐν πολέμοις ἀνδρείαν, καὶ προσέτι γε ὅτι πολλὴν αὐτῷ διὰ τὸ χρημάτων ὑπερορᾶν οἱ στρατίῶται συνεισέφερον εὔνοιαν.*»[3])

1) «Eugenius, confisus viribus Arbogastis, postquam apud Viennam Valentinianum exstinxerat, regnum invasit.» c. 48.

2) Aliter Hieronymus (Lib. III, ep. 22) rem ita tractat: Adolesceus Valentinianus et paene puer necatus est et cadaver exanime suspendio infamatum.

3) Ioannes Antiochenus: c. 187 *Ὁ δὲ βάρβαρος τὴν κατ' αὐτοῦ κίνησιν ἐπιτείνας, πρὸς πολισμάτιον Ἰταλικὸν Βέρναν λεγόμενον — ξίφει διεχρήσατο.* Illud oppidum vero Viennam in Gallia situm fuisse, Zosimus, Philostorgius, alii confirmant.

Quibus rebus factum est, ut scriptores alii alia referentes de causa, occasione, rationeque mortis inter se dissentiant. Ac primum Sozomenus VII, 22, Augustinus V, 26, Rufinus II. c. 31 haudquaquam praeter opinionem esse censent, imperatorem sua ipsius manu interiisse; quod Prosper Aquitanus in chronico suo perspicue enuntiat. Quae res cum aliis, tum ea de causa mihi non videtur, quod, cum in Italiam festinaret[1]), tyrannidem comitis effugere studebat et Ambrosius ei iam supra Alpes obviam iverat; accedit, quod Theodosium de condicione sua certiorem fecerat atque ab eo auxilium exspectabat. Illud vero non adducor, ut credam, eum qui rebus adversis liberari se posse speraverit sua sponte mortem sibi conscivisse. Praeterea et Philostorgii scriptis (XI, 1) cognoscimus, corpus ab iis, qui necassent, laqueo suspensum esse, ut imperator vim sibi ipsi intulisse videretur; quam famam mortis voluntariae studio late dissipatam ideoque a scriptoribus litteris mandatam esse persuasum habeo.

Gravissimum vero argumentum, quo imperatorem sua manu non obiisse demonstratur, hoc est, quod omnes fere scriptores Arbogastem necis auctorem esse affirmant; solo Victore excepto qui Eugenium illi mortem intulisse tradit. Illi vero scriptores, qui «principis obitum comitis perfidiae acceptum» ferunt, non solum catholici sunt, ut Socrates, Sozomenus, Orosius, alii, sed etiam Philostorgius Arianus et Zosimus idololatra.

Ut cetera vero desint argumenta, tamen ea res, quod Ambrosius ubique in consolatione illa de salute Valentiniani tamquam de re omnino certa, quamquam ille baptizatus non esset, loqui non dubitat, satis ostendit, eum principem non a se ipso vim passum esse credidisse.[2])

Mirum in modum Zosimus de caesaris nece tradit, Arbogastem palam incursantem eum trucidasse; quod a Zosimo et

1) Hoc in intinere simulatum est, barbaros in Italiam invasisse. Cons. 2. «Sed ille non passus, cum audiret, Alpes Italiae hoste infestari barbaro; maluit periclitari se, si Gallias derelinqueret, quam nostro deesse periculo.»

2) Neglegendum nequaquam hac in re Philostorgium arbitror, qui, quamvis imperatorem manum sibi allaturum exclamasse dixerit, tamen eum postea per Arbogastis satellites comprehensum ac strangulatum inducit.

Ioanne Antiocheno memoratum, cum iam per se parum probabile videatur, cum illa re atroci commutatum esse puto, quam Philostorgius XI, 1 et Ioannes Antiochenus 187 describunt quaeque controversiam occultam in apertum quasi bellum mutaverat. Zosimi autem narrationem historiae fide non comprobari, ex eo efficitur, quod ab illo solum res ita traditur et, cum interfectorum magnopere certe interesset, caedem occulte nec palam et quasi scenico apparatu fieri, posthac multi spectatique viri Arbogastem necis immunem esse profiteri non potuerunt.

Quibus rebus intellectis omnium consensu confirmatum esse invenimus, imperatorem Valentinianum II idibus Maiis anno 392 p. Chr. n. die Saturni ante Pentecostam Viennae gula fracta exanimem et suspensum reppertum esse; vim ab eo ipsi illatam esse, parum probabile nobis visum est; apparet igitur nece illum periisse; caedis autem auctores qui fuerint ac qualiter hac in re egerint, deinceps pertractabo.

Arbogastem comitem (ducem eum appellat Rufinus) necis auctorem fuisse, omnes fere scriptores alii luculente, alii vocibus incertis tradunt, praeter unum Prosperum Aquitanum (ed. Migne p. 587), quem multo post tempora nostra degentem omittemus; priusquam vero de illa caede disceptare perrexero, pauca de vita et dignitatis gradu huius viri insignis afferam.

Ortus erat a gente Francorum e minore Gallia (Socrates V, 25); cum Bautone populari[1]) eum a Gratiano imperatori Valenti auxilio missum esse, supra accepimus. Maximum usurpatorem ab eo devictum esse, Orosius VII narrat[2]); atque etiam Victorem illius filium eodem anno interfecit (Prosper Aquitanus Chr. ed. Migne. p. 587). Cognatione stirpem regiam Francorum attigisse videtur[3]); cui tamen postea haud parum ideo infensum fuisse

1) Falso Ioannes Antiochenus Arbogastem Bautonis filium fuisse dicit; Zosimus et Eunapius eum *δευτεραμωνίστην* et *ὑποστρατηγόν* Bautonis appellant.

2) «Qui tantis instructum praesidiis Maximum minimus ipse cepit» VII. 35.

3) Sulpicius Alexander apud Gregorium Turonensem II, 9: «Eodem anno Arbogastes Sunnonem et Marcomerem, subregulos Francorum, gentilibus odiis, insectans.»

verisimile est, quia ab illis e patria expulsus erat; quae Claudianus poeta his verbis explicat: «Quem sibi Germanus famulum delegerat exsul.» (In quartum consulatum Honorii VIII, 75.)

Zosimus (IV, 53) eum propter fidem in Romanos perpetuo servatam, virilitatem, pecuniae despicientiam, rei militaris usum summis laudibus effert; neque minus Eunapius (53 apud Suidam), qui item, quippe paganus, Arbogasti favet, illius corporis vires animique severitatem et castitatem et pecuniae abstinentiam laudat. Contra Socrates christianus (Hist. eccl. V, 25) eum ferocem sanguinisque avidum fuisse dicit, et Orosius barbarum eum animo, consilio, manu, audacia potentiaque nimium appellat.[1]) Verum imperator Theodosius, qui indolem militarem magnam magni aestimavit, Arbogastem Valentiniano, ut adolescenti imperatori praeesset et prospiceret, ut comitem et magistrum militiae addiderat. Hoc loco eum tam praepotentem et superbum evasisse, ut caesarem quasi in dicionem redigeret atque mandata eius illudere auderet, e scriptoribus supra memoratis, Zosimo scilicet et Sozomeno et Sulpicio Alexandro cognovimus.

Sed revertamur ad id, quod proposuimus. Augustinum praeclarum illum episcopum Arbogastem aperte necis non accusasse audivimus; haud aliter Rufinus fuisse quosdam, qui ducem a commisso scelere alienum dixissent, cautis verbis explicat. Qua re aliquantum dubii moveri necesse est. Certe Arbogastis intererat imperatorem ex imperio regendo removere eumque in Gallia detinere; non contigit imperatori, ut eum loco removeret; quamvis igitur ira in ducem inflammatus fuerit, ille vir fortissimus, qui a Theodosio munus suum acceperat, voluntatem eius quin despexerit, dubitari non licet. Ergo nihil esse videbatur, cur comes tanta potentia usus, caesarem opprimeret, eumque perimeret.

Huiusmodi fortasse rationibus Arbogastes usus est, ut se de illo facinore purgaret; nihilo setius credibile esse constat, Valentinianum modo supra memorato ab hoc occisum esse. Litteras, opinor, ab illo ad Theodosium scriptas is noverat; quin etiam ex Philostorgii relatione supra ascripta patere mihi videtur,

1) Etiam Ioannes Antiochenus eum *ἐπιθυμοῦντα μάχης καὶ πολέμου καὶ φόνων* nominat.

comitem ne imperator effugere studeret metuisse. Praeterea omnes fere scriptores comitem necis auctorem significare demonstravimus; ut Philostorgius Arianus, quem neque paganis neque catholicis favisse certum est rem accuratissime explicat caesaremque per satellites a comite missos strangulatum inducit.

Sed forsitan dixerit quispiam scriptores illos, cum in orientali imperio vitam degentes locis, ubi illa gesta sunt, longe abessent et plurimi eorum a Theodosii partibus starent, non accurate et integre de rebus iudicare potuisse. Atqui Orosius, presbyter Hispanus, Arbogastem necis auctorem nominat et Ambrosius episcopus Mediolanensis, qui tutor quasi Valentiniani fuerat, in consolatione de obitu imperatoris mortem sceleri comitis attribuendum esse significat; aliquoties enim, si in Galliam pervenisset, contigisse sibi, ut comitem placaret et eum ab imperatore arceret eiusque vitam servaret, cautis quidem verbis disserit.[1]

Verumtamen difficile est iudicatu, Arbogastes utrum hanc rem sua sponte an ab aliis hominibus incitatus gesserit. Mihi quidem videtur Arbogastes, barbarus scilicet, qui facile inflammari posset (*φλογοειδής* Eunapius) quique imperatorem consiliis suis obstitisse aegre ferret, a gentilium factione, praesertim a legatis, qui aram Victoriae nequiquam repetiverant, adversus caesarem christianae religionis studiosum neque minus in Ambrosium, qui illi auxilio profecturus erat, excitatus esse. Hoc quoque meam sententiam commendat, quod Sozomenus, rerum ecclesiasticarum scriptor, *ἄλλους δέ τινας τῶν εἰς τὰ βασίλεια* sceleris machinatores fuisse narrat. Denique haec res digna est, ad quam animum attendas, quod Valentinianus iamdiu inimicitiis cum comite susceptis, post ipsum diem, quo legationem senatus Romani repudiavit, periit.

Occisus est igitur Valentinianus II anno 392 per Arbogastem comitem et militiae magistrum, Arcadio Augusto II Rufino coss.[2]),

1) «O iuvenis optime! utinam te viventem invenire potuissem, utinam te dilatatio aliqua meo reservasset adventui! Quanta ego cura inter te et comitem tuum, quanta sedulitate concordiam et gratiam refudissem! Certe si comes non esset inflexus, tecum renansissem.» (cap. 27.)

2) Falso Prosper Aquitanus (Chronicon pag. 587, ed. Migne. Paris 46) et Marcellinus (Chronicon pag. 918 ibidem). Eugenium anno 391, Tatiano

viginti annos natus. (*εἰκοστὸν ἀπὸ γενέσεως ἔτος διανύων.* Philostorgius.) Priusquam obiit, haec sola verba exclamasse dicitur: «Vae miseris sororibus meis!» ostendens magis se destitutionem sororum quam suam mortem lugere.» (Cons. 50).[1])

Arbogastis vero auctoritate factum esse, ut de ea caede non quaereretur, Zosimus narrat[2]); funera tamen die insequenti, Pentecosta scilicet, confici passus est.[3])

Quo facto corpus Valentiniani Mediolanum, ut ibi sepeliretur, tralatum est; quo in itinere planctus hominum imperatoris adulescentis interitum lugentium auditus est: «Flent omnes, flent et ignoti, flent et timentes, flent et inviti, flent et barbari, flent et qui videbantur inimici» (Ambr. Cons. 3). Iusta et Grata, Valentiniani sorores — tertia Galla Theodosio nupserat — fratris morte summa perturbatione ac maestitia affectae, pro vivo cineres fratris amplectebantur per duos fere menses[4]), quibus ille inhumatus erat; postea tumulum eius frequentabant.

Theodosius vero hoc tempore duobus mensibus post obitum corpus illius Mediolani humari, quod ille baptizatus non esset,

et Symmacho coss. «imperium usurpasse» produnt; quod, cum factum esset, Valentinianum II per Arbogastem sublatum esse. Ac primum quidem Idatius et Chronico (pag. 875) et in Fasto (pag. 912.) Arcadio Aug. II et Rufino coss. Valentinianum Aug. interisse et Eugenium tyrannum se levasse dicit. Deinde Ammianus Marcellinus rerum scriptor (30, 10, 1 V). Valentinianum II anno 375 «quadrimum fuisse refert; atqui, si Philostorgiumsequimur, interfectus ille est viginti annos natus, ergo anno 392 eum obisse constat.» Denique ipsi Prosper Aquitanus et Marcellinus anno 392 Arcadio Aug. II et Rufino coss. Valentinianum interemptum esse narrant. Atqui Valentinianum post usurpationem imperii Eugenii obiisse, e Zosimi, Philostorgii, aliorum consensu cognoscitur.

1) Ambrosius hac re luculentissime caesarem non ipsius manu interiisse demonstrat; quod si ille fecisset, neminem postrema eius dicta audivisse apparet nec virum adeo sorores diligentem ita fecisse verisimile est.

2) «*Πάντων δὲ σιωπῇ το τολμηθὲν ἐνεγκόντων διά τε τοῦ ἀνδρὸς τὸ ἀξίωμα.*»

3) «*Αὐτῇ δὲ τῇ ἡμέρᾳ τῆς Πεντεκοστῆς ἐξεκομίσθη.*» Epiphanius: *Περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν.* cap. 20.

4) Valentiniani corpus per duos menses inhumatum mansisse, ex ep. 53. Ambrosii ad Theodosium patet: «Ne aestivo penitus exuviae solvantur calore; vix enim superiorem aestatem transegimus.» Mortuus enim est princeps tempore verno.

iusserat; Ambrosius ei respondens proposuit, ut mortuus in sepulcro quodam magnifico, quod praesto esset, conderetur.[1]) Quo in sepulcro Valentinianum conditum esse iuxta Gratianum fratrem, Ambrosius, Consol. 79 refert: «O omnibus Gratiane et Valentiniane speciosi ac charissimi; inseparabiles in vita et in morte non estis separati; non vos discrevit tumulus, quos non discernebat affectus.» In parentalibus Ambrosius clarissimam illam orationem funebrem habuit, quam «Consolationem de obitu Valentiniani» appellatam identidem memoravimus.

Is fuit finis Valentiniani. Iustam et Gratam sorores summo dolore afflictas, virgines semper mansisse Socrates (IV, 31) refert; Galla, Theodosii uxor, quae aedes regias gemitu ac clamore compleverat[2]), mortua est in partu, cum fratris morte cognita Theodosius anno 394 ad necem eius fratris ulciscendam in Italiam profecturus esset. (Zosimus IV, 57.)

In orientis partibus Theodosio fortiter ac severe regnante, universo fere orbe terrarum pacato praeter incursiones quasdam barbarorum ad Rhenum habitantium, Arbogastes facinore celeri imperio occidentali potitus, item manu audaci ac strenua res gessit. Sed cum imperator Romanus fieri non posset, Eugenium rhetorem Augustum enuntiavit. Persuadere enim mihi non possum, quod alii opinantur, Arbogastem ipsum imperium petivisse, cum et Romanos barbarum dominum numquam laturos haud ignoraret et se ipsum huic dignitati parum accommodatum esse crederet. Etenim, si nomen Augusti usurpasset, illo scelere se obstrictum esse palam ostendisset. Itaque virum ad hanc dignitatem aptum eundemque omnibus gratum imperatorem pronuntiare consilium cepit; quoniam vero res militares sibi reservandas esse intellexe-

1) «Si excors recessit baptismatis, quid cognoverim, nunc repressi. Est hic porphyreticum labrum pulcherrimum et in usus huiusmodi aptissimum; nam Maximianus, Diocletiani socius, ita humatus est. Sunt tabulae porphyreticae pulcherrimae, quibus vestiatur operculum, quo regales exuviae claudantur.» Ambrosius ep. 53 ad Theodosium.

2) «*Συνετάραξεν ἡ τούτου γαμετὴ Γάλλα τὰ βασίλεια, τὸν ἀδελφὸν ὀλοφυρομένη.*» IV, 55.

rat, ad virum doctum atque amabilem imperium detulit. Orosius (VII p. 560) hoc loco infeste loquitur. «Arbogastes tyrannum creavit Eugenium, eligens hominem, cui titulum imperatoris imponeret, ipse acturus imperium.»

Eugenium primo rhetorem latinum fuisse, deinde, cum scholam reliquisset, in palatio militasse magistrumque scriniorum factum esse (*ἀντιγραφεύς*) Socrates V, 25 memoriae prodit.[1]) In aula vero imperiali eloquentia magnam existimationem adeptus est.[2]) Philostorgius eum *μαγίστρον τὴν ἀξίαν* nominat, quod per se obscurum est.

Illum cum Symmacho praefecto urbis firmo amicitiae vinculo coniunctum fuisse, iam antea demonstratum est. Eugenius enim in Symmachi epistulis «frater» ac «dominus» vocatur.

Postquam Richomeres, Symmachi familiaris, qui Eugenium Arbogasti commendaverat, una cum Theodosio Maximo devicto Italiam reliquit, rhetor ille apud comitem scribae intimi locum adeptus est.[3]) Mores eius haud pravos fuisse Zosimus paganus narrat[4]). Ambrosius Eugenium iam, cum privatus esset, cognoverat eumque magna cum sinceritate laudibus effert (Ambros. ep. 57).

Zosimus, quem res eas non ignorasse scimus, Arbogastem cum Eugenio ministro et scriba consilium communicasse narrat, ut Valentiniano II interempto ipse imperium capesseret.[5]) Quod, quando factum sit, commemorare omittit; sed hoc consilio cum scriba suo communicato, statim eum in Valentinianum incursasse et trucidasse verisimile est. Sed de his rebus postea![6])

1) «*Ἦν δέ τις ἐν τοῖς βασιλείοις ἀναστρεφόμενος Εὐγένιος ὄνομα, παιδείᾳ προήκων ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε καὶ ῥητορικὸν ἐπανελέσθαι βίον καὶ προεστάναι διδασκαλείου.*» (Zosimus IV, 54.)

2) *Διὰ δὲ τὸ εἶναι ἐλλόγιμος, πλέον τῶν ἄλλων τιμώμενος.* (Socrates V, 25.)

3) «*Ἡ συνεχὴς συνουσία φίλον Ἀρβογάστῃ τὸν Εὐγένιον ἐς τὰ μάλιστα πεποίηκεν.*» (Zosimus.)

4) «*Παιδείας ὑπερβολὴ καὶ ἄλλη τοῦ βίου σεμνότης.*»

5) «*Γότε δὴ τὸν Εὐγένιον τοῦτον λαβὼν κατὰ νοῦν, κοινοῦται μὲν αὐτῷ τὰ βεβουλευμένα.*» (Zos.)

6) «*Ἐπεὶ δὲ ἔπεισεν, ἄμεινον ἔχειν ᾠήθη Οὐαλεντινιανὸν ἐκποδὼν πρότερον καταστῆσαι*» (Zos.)

Eugenius in Gallia imperator pronuntiatus, confestim Italia ac toto fere imperio occidentali potitus est.[1]) Die Maii quindecimo Valentinianus II occisus est; duobus mensibus post corpus eius ab Arbogaste tralatum sollemniter Mediolani sepultum est; atque iam Octobri mense Campaniam saltem ab Eugenio possessam esse, inscriptione quadam apparet.[2]) Senatus vero Romanus Symmacho, Flaviano, aliis paganis auctoribus eum statim imperatorem appellasse videtur; quamobrem anno insequenti fasces sibi Eugenius imperatorum more decrevit. Legitimos vero consules hoc anno fasti agnoscunt Theodosium Augustum III et Abundantium; contra in omnibus urbis Romae inscriptionibus Eugenius et Theodosius consules vocantur.[3])

Africam Eugenius non obtinuit; praesto enim sunt leges anni 393 ad Gildonem Africae comitem [4]) et Silvanum Tripolitaniae terrae ducem [5]) a Theodosio Augusto missae; qua re satis mihi exploratum videtur esse hanc occidentis partem statim Valentiniano II mortuo Theodosio se subiecisse.

Sed Eugenius Africa amissa adeo non territus est, ut, si Sozomenum sequimur, affirmatus praecipue promissis portentorum interpretum, universum imperium Romanum se obtenturum

1) Socrates V, 25. «*Εὐθὺς οὖν ὁ Εὐγένιος ἐγκρατὴς τῶν ἐν τοῖς ἑσπερίοις μέρεσι πραγμάτων γενόμενος.*»

2) «Hic sunt positi duo fratres innocentes neofiti, qui vixirunt Dionisius annum menses duo dep. pri. Kal. Aug. Mariniana annis tribus men. III. dep. VIII. Kal. Noben. d. n. Eugenio Aug. primi.» (Inscript. regni Neapolit. ed. Mommsen 7233.) Quod epitaphium a timido aliquo vel imperito scriptum esse, Mommsenius censet, quoniam non consulum nomina adhibentur, sed imperator Eugenius nominatus est.

3) «Constantiae filiai carissimae quai vixit annis R. M. XI. deposita in pace XVIII. Kal. Maias. Theod. Aug. III et Eugenio coss.» (Inscript. christianae urbis Romae. Ed Rossi, pag. 179.)

4) Edictum imppp. Theodosii, Arcadii, Honorii A. A. A. Gildoni, comiti ac magistro utriusque militiae per Africam: De adulteriis Dat. III Kal. Ian. Constant. Theodosio Aug. III et Abundantio coss. (Cod. Theod. Tomus III, lib. 9, 7.)

5) Edictum Theodosii Silvano duci et Correctori limitis Tripolitani de plebeiis divitibus in curiam colligendis. Dat. VI Kal. April. Constant. Theod. Aug. III et Abundantio coss. (Cod. Theod. Tomus IV, lib. 12, 83.)

speraret.[1]) Ea relatio, utrum vera sit necne, postea tractabimus.

Eugenium, paganorum ut Symmachi et Arbogastis amicus, christianum tamen fuisse, et e Paulini vita St. Ambrosii [2]) cognoscitur et litteris ipsis Ambrosii, quas ad Eugenium, ut paganis indulgere desineret, misit. (Ambr. ep. 57.) Considera, imperator, quantus sit Deus, corda omnium videt. — Quo modo offeres dona tua Christo?) Dubitari igitur non licet, quin Eugenius christianus fuerit. Verumtamen Sozomenus eum appellat hominem *οὐχ ὑγιῶς διακείμενον περὶ τὸ δόγμα τῶν Χριστιανῶν*; quin etiam Philostorgius eum *Ἕλληνα τὸ σέβας* significat. Quae opinio, etsi falsam esse intelleximus, rebus postea ab Eugenio gestis, quomodo orta sit, satis declaratur. Quae cum ita sint, sequitur, Eugenium paganis indulgentem, postea etiam nomine idololatrae a scriptoribus illis notatum esse.

Maxime enim Eugenium adiuverant pagani, qui ipsi illo tempore viri docti atque eloquentes [3]), ut Praetextatus, Caecina Albinus, Furius Albinus, Nicomachus Avienus, Symmachus, Nicomachus Flavianus, proceres Romani, virum doctum magni aestimabant; itaque Eugenii imperium, qui paganis multa concessit, christianis autem nec favit nec nocuit, idololatriae speciem praebere necesse erat. Ab illo vero omnia quaecunque priores caesares vel dempserant paganis, vel restitui denegaverant, reddita esse, cum Ambrosii epistula ad eum missa, tum ea ratione, qua imperium gesserit, comprobatur. Illo imperante sacrificia publica renovata esse Rufinus tradit [4]), neque minus Sozomenus (VII, 22). Aram Victoriae et sumptus caerimoniarum petentibus Arbogaste et Flaviano restituta esse, iam supra memoravimus. Sumptus vero

1) Sozomenus VII, 22: «*Μοιρίδιον εἶναι αὐτῷ τὴν βασιλείαν ἰσχυριζόμενος.*»

2) «Eugenius petentibus Arbogaste et Flaviano sumptus caerimoniarum oblitus fidei suae concessit.» (Paulinus 26.)

3) Macrobius: Libri Saturnaliorum l. I. l. VII.

4) «At pagani, qui errores suos novis semper erroribus animant, innovare sacrificia, et Romam funestis victimis cruentare, inspicere exta pecudum et ex fibrarum praescientia securam Eugenii victoriam nuntiare.» Hist. eccl. II, 33.

caerimoniarum non templis deorum ipsis, sed iis donavit, qui id ab ipso petiverant.[1]) Quod ab Eugenio prudenter factum esse mihi videtur, cum et paganis, quae vellent, concederet et christianos non offenderet; offendisse autem eum christianos apparet, si templa deorum ipsa ista pecunia donavisset atque amplificavisset; itaque procuratoribus eorum sumptus reddidit. Nihilominus preces restituendorum sacrorum gentilium bis ab eo repulsae sunt[2]); fortasse enim christianum se esse meminerat. Contra Paulinus 26 «non multo post», quam imperator factus est, ista permisisse eum refert.

Itaque ara Victoriae a multis imperatoribus culta, ab aliis dempta vel restitui negata, senatui Romano reddita est; paucis mensibus ante hanc ob rem Valentinianus II adulescens praestanti indole praeditus periit; neque Eugenius idololatriae vel tolerandae vel adiuvandae finem fecit. Eugenii «partem», cum adversus Theodosium proficisceretur, «de idolis praesumpsisse» Orosius narrat Lib. VII p. 560.[3]) Praeterea, cum fauces Alpium Iuliarum, ne Theodosius istinc pervenire posset, muniret ibi statuas aureas Iovis fulguribus armatas atque consecratas posuisse dicitur. (Augustinus: De civitate Dei V, 26.) Quod a caesare ipso praeceptum esse, cum et christianus esset et christianos hac re ira ac furore affecisset, persuadere mihi non possum; illud ab eo permissum modo esse verisimile est. Eugenii copias Herculis ope fretas adversus Theodosium dimicasse, Theodoretus rerum ecclesiasticarum scriptor duobus locis explicat.[4]) Denique Rufinus

1) «Sed ubi clementia tua imperii suscepit gubernacula, compertum est postea donata illa esse praecellentibus in re publica, sed gentilis observantiae viris; et fortasse dicatur, imperator auguste, qui ipse non templis reddideris, sed bene meritis de te donaveris.» Ambros ep. 57.

2) «Te imperante petierunt legati, ut templis redderes; non fecisti; iterum alteri postulaverunt, renisus es; et postea ipsis, qui petiverunt, donasti.» Ambros. ep. 57.

3) Qua in re difficile est dictu, utrum paganis faverit an eos modo passus sit. Pagani enim scriptores nihil de omni re ad sacra pertinente produnt; christiani illa inter se non discernunt.

4) «*Οὐ χρῆναι τοσαύτην προσμαρτυρῆσαι δύναμιν τῇ τοῦ Ἡρακλέους εἰκόνι.*» Alio loco Theodosius potitus victoria *ἐκωμώδησέ τε καὶ τὴν Ἡρακλέους εἰκόνα καὶ τὸ μάταιον δι' ἐκείνην γενόμενον θάρσος.* Hist. eccl. V, 21.

«trepidos» postea fuisse «daemones» conscientia scelerum tradit et «victoriam principis religiosi gloriosiorem» fuisse «de frustratis opinionibus paganorum, quam de tyranni interitu». Hist. eccl. II, 33.

Quamvis deorum veterum cultus Eugenio imperante vel adiuvaretur vel concederetur, christianam religionem ne minime quidem ab eo publice laesam offensamque esse scriptorum consensu comprobatur; fieri enim non potuit, ut christiana fides per multa saecula recentibus usque viribus adaucta ac praepotens facta everteretur; itaque publice quidem utramque religionem legitimam haberi Eugenius eiusque satellites volebant. Aliter quidem Valentinianus iunior res sacras administravit; qui Manichaeos et paganos persecutus est, Arianos primo defendebat auctore videlicet matre Iustina Arianae doctrinae studiosa; postea vero, cum Ambrosium sequeretur et in omnia, quae ad fidem veram non pertinerent, ira ac studio inveheretur, ab iis, quibus restitutionem cultus deorum veterum denegaverat, interfectus est.

Nam partes eorum haud viles erant; summis tunc magistratibus urbis Romae pagani fungebantur; si non maior, at certe magna pars senatus Romani tum illi religioni dedita erat.[1]) Inter ceteros Flavianus praefectus praetorio excellit, identidem a nobis memoratus, qui Eugenium valde adiuvit et ad res agendas impulit.

Virius Nicomachus Flavianus, filius Venusti, natus erat anno 334. Anno 389 ineunte praefecturam praetorio quam usque ad mortem retinuit[2]), adeptus est; consulatum vero non a legitimo imperatore accepit, sed ab Eugenio, qui eum anno 394 hac dignitate ornavit.[3])

1) Argumento sunt legationes senatus arae Victoriae repetundae causa missae.

2) Rufinus, Hist. eccl. II, 33. Codex Theodosianus, Tomus III. 1, 6; Tom. VI. 16, 7.

3) Multis inscriptionibus Flavianum eo anno consulem fuisse ostenditur; unam ascribemus in monte Coelio reppertam (C. Inscr. Lat. VI): «Virio Nicomacho Flaviano, viro clarissimo, quaestori, praetori, pontifici magno, consulari Siciliae, vicario Africae, quaestori intra palatium, praefecto praetorio iterum, consuli ordinario, historico disertissimo O. Fabius Memmius Symmachus.»

Quanta fuerit eius viri auctoritas, christianorum scriptorum relationibus ostenditur. Rufinus eum «eruditum» appellat, Sozomenus *ἐλλόγιμον*. Verum etiam a Theodosio, contra quem arma ceperat, magni illum aestimatum esse, constat; itaque postea memoria eius restituta est.[1])

Nostra maxime interest, cognoscere, quomodo Eugenio imperante res gesserit; ab illo Eugenium valde adiutum esse Sozomenus explicat: *Ἐσπούδαζον ἄλλοι τε πολλοὶ τῶν ἐν τέλει Ῥωμαίων καὶ Φλαβιανὸς ὁ τότε ὕπαρχος.* VII, 22. Firma quoque amicitia cum Arbogaste sociatus fuisse videtur, quocum coniunctum eum scriptores saepissime nominant; eiusque animum vehementem ab erudito viro Romano coercitum et ad res strenue agendas incitatum esse verisimile est; qui ab Eugenio ut sumptus caerimoniarum et aram Victoriae restitueret, impetraverunt (Paulinus 26); iidem Ambrosii ecclesia basilica fore ut everteretur minati sunt.[2]) Quibus dictis ac Sozomeni scriptis[3]) apparet, interitum christianae religionis ab eo provisum esse, quem carmen aliquod graecum in hunc annum praedixisse ferebatur.[4]) Ab illo Romae sacrificia innovata esse Rufinus II, 33 refert. Quanta fuerit eius potentia, ex eo cognoscitur, quod aedificia templorum loco in urbe constructa diruenda curavit. C. c. P. v. 38. Cum vero summum magistratuum creandorum arbitrium penes eum esset, christianos non solum promissis, conviviis, aliis illecebris, sed etiam spe honorum et munerum ad mutandam fidem pelliciebat.[5]) Conatus vero conten-

1) Inscriptio in foro Traiano effossa. (C. I. L. VI. 1783.)

2) «Promiserat enim Arbogastes tunc comes et Flavianus praefectus Mediolano egredientes, cum victores reversi essent, stabulum se esse facturos in basilica ecclesia Mediolanensi et clericos sub armis probaturos.» Paulinus 31.

3) «*Μεταβολὴν τῆς τῶν Χριστιανῶν θρησκείας ἔσεσθαι*». Hist. eccl. VII. 322.

4) «Excogitaverunt nescio quos versus graecos, tamquam consulenti quidam divino oraculo effusos, ubi Christum quidem ab huius tamquam sacrilegii crimine faciunt innocentem, Petrum autem maleficiis nescisse subiungunt, ut coleretur Christi nomen per trecentos sexaginta quinque annos, deinde completo memorato numero annorum sine mora sumeret finem.» Augustinus, «De civitate Dei» V, 23.

5) «Christicolas multos voluit sic perdere demens; qui vellent sine lege mori, donaret honores oblitosque sui caperet, quos daemonis arte, muneribus

tionesque eius prospere successisse, carmine quodam demonstratur, quo poeta in nonnullos e fide lapsos invehitur.[1]) Iam antea Valentiniano II imperante multos christianos ad apostasim inclinasse legibus duabus anni 391 ab illo adversus apostatas constitutis comprobatur (Cod. Theod. Tom VI. 16, 7). Hac in re quoque Flaviani auctoritate ista evenisse persuasum habeo.

Flavianus inprimis superstitionibus Etruscorum deditus erat.[2]) Hinc portentorum interpretatio et augurium! Superstitiosius ceteris haec egisse et cum omni animositate Flavianum tunc praefectum, eiusque assertionibus commotum Eugenium victoriam fere «pro certo habuisse», Rufinus prodit II, 33; neque minus Sozomenus Eugenium ab illo ad bellum gerendum impulsum esse refert.[3])

Quibus rebus multa mihi superius a nobis memorata, illustrata atque explicata videntur. Eugenius, vir doctus, qui fortasse usu ac sollertia in re publica gerenda careret, adeo animi robore destitutus erat, ut, si christianos scriptores sequimur, paganorum caerimoniis, quamvis christianus, ad bellum gerendum impelleretur; Arbogastem et Flavianum praepotentes esse passus est; eos autem iam prius ut opes sibi pararent, nixos esse, cum iam per se probabile sit, his potissimum causis elucet.

Theodosius Magnus imperator orientalis imperii Romani, qui Valentinianum II adulescentem adversus Maximum adiuverat quique eum in imperium duobus annis ante amissum restituerat, anno 391 mense Martio Mediolani, Iunio vero Vincentiae versatus est.[4]) Atqui Valentinianus obiit idibus Maiis 392 Viennae,

cupiens quorundam frangere mentes aut alios facere parva mercede profanos.» Carmen codicis Parisini, ed. Mommsen, Hermes IV, vers 78.

1) Carmen cod. Par. versus 85—103.

2) «Sarapidis cultor, Etruscis semper amicus.» Carm. cod. Par. 80.

3) «*Ταύτῃ γὰρ μάλιστα τὸν Εὐγένιον ἔπεισεν. εἰς πόλεμον παρασκευάσασθαι.*» VII, 22.

4) I. Edictum Valentiniani, Theodosii, Arcadii A. A. A. Tatiano praef. praet. «De patribus, qui filios distraxerunt.» Dat. V. Idibus Maiis Mediolani. Tatiano et Symmacho coss. (Cod. Theod. Tomus III. 3. 1.)

II. Edictum Valentiniani et Theodosii A. A. «De iure protimeseos.» Flaviano praef. praet. Illyrici et Italiae. Dat. VI Kal. Iun. Vincentiae Tatiano et Symmacho coss. (Cod. Theod. Tomus III. 1, 6.)

in oppido Galliae; ergo haud multo post quam Theodosius in suum rediit ille in Galliam ut veniret allectus ibique in Arbogastis potestatem redactus est. Permultum igitur gentilium partes iam tum valuisse constat.

Flavianum autem Arbogastem iam antea novisse, exploratum mihi videtur esse, cum uterque in Richomeris vel Symmachi vel Eugenii notitiam venisset et Flavianum praefectum praetorio Arbogaste magistro militum publice usum esse pro certo habendum sit; familiaritate cum eo coniunctus cognoverat comprobatam virtutem bellicam et milites ei addictos; tunc socium sibi eum reddere non dubitavit commonefaciens animi ethnici et imperii administrandi scientiae. Exinde societate et consiliorum consensu inter se iuncti fuisse videntur.

Praefectus ille, qui christianam religionem interituram arbitrabatur, et ipse aliquantum ad eam rem maturius perficiendam conferre studebat. Itaque auctor, opinor, eius legationis erat, quae ab imperatore, quem ut imperitum adulescentem et ab Arbogaste socio rectum non obstiturum putabat, aram Victoriae anno 392 repetivit; quod si contigisset, cum uno sibi dimicandum esse credebat, Theodosio, paganis inimicissimo. In eum vero, omnes vires bellicae contrahendae erant; quocirca Eugenium ad bellum gerendum et ad imperium Theodosii occupandum postea impulit.

Hac legatione exploratum videtur esse a paganis, utrum Valentinianus II restitutionem sacrorum concedere vellet necne. Cum Arbogastis voluntati obsecutus non esset consiliisque illorum constantia sua obstaret, iuvenis ab omnibus derelictus peremptus est; quod futurum ab illis paganorum principibus cognitum esse eoque novum caesarem, Eugenium, designatum esse, solus Zosimus, scriptor paganus, narrat[1]); ceteri Eugenium, Valentiniano mortuo, «imperium invasisse» produnt.

Eugenium vero ab illis ad imperium destinatum esse, ideo mihi factum videtur, quia et Flaviano et Arbogasti familiaritate con-

1) *«Ἐπεὶ δὲ ἔπεισεν* (ut imperium capesseret), *ἄμεινον ἔχειν φήθη Οὐαλεντινιανὸν ἐκποδὼν πρότερον καταστῆσαι καὶ οὕτως Εὐγενίῳ παραδοῦναι τὴν μοναρχίαν.»* Zosimus IV, 54.

iunctus erat; deinde ille virum doctum praetulit — in bellicis rebus Arbogastes praestabat — et christianum, quod maior pars civium Romanorum christianae fidei dedita erat.

Itaque cum Theodosio contingeret, ut paucis philosophis ac rhetoribus leniter repugnantibus, per orientem paganorum religionem opprimeret, in partibus imperii Romani occidentalibus caede Valentiniani II illi se opponentis et Eugenii imperio adeo viribus novis antecessit, ut christianae fidei superior videretur. Auctorem Flavianum praefectum demonstravimus, qui nixus oraculis interitum Christi nominis nuntiantibus ideoque elatus victoriis futuris animosque imbecillos, ut Eugenii, rapiens, novo principi parum potenti ac strenuo imperium detulit. Ipse vero regnavit, societate cum Arbogaste iunctus, quocum una Paulinus (26, 31) scriptor eum duobus locis nominat; viri fortitudine atque audacia pares; humanitate vero-atque eruditione Romanus Germanum superabat.

Ne illis quidem deerant opes ad bellum gerendum necessariae. Magnam enim pecuniam ab Eugenio templis deorum redditam, quam Flavianus aliique viri «praecellentes in republica» (Ambros. ep. 57) acceperant, ab illo ad copias instruendas et ad bellum parandum collatam esse arbitror; quod, cum multa templa, quorum reditus exstabant, ipsa propter christianam religionem passim dilatatam sublata essent, sine peculatus specie facere potuit. Sed de his hactenus!

Fortasse dixerit quispiam multa iam de imperio Eugenii eiusque fautoribus ac sociis dicta esse, parum de eo ipso; multa autem de eo afferri nón possunt propter singularem principis modestiam ac cautionem, quae tanta erat, ut imperium invitus iniret.[1]) Laudat Zosimus paganus eius *προσούσας μετὰ παιδεύσεως ἀρετάς*; christianos vero scriptores eum hominem inconstantem, aliis obnoxium, imbecillum describere cognovimus; quod, quam verum sit, diiudicare non possumus, cum et pagani parum de eius moribus et imperii administratione afferant et a christianis

1) *«Δυσαρεστοῦντα δὲ τοῖς λεγομένοις ἰδών, ἐπέμενε θεραπεύων.»* (Arbogastes scil.) Zosimus IV, 54.

pluribus locis sectatorum eius res gestae, quam ipsius imperatoris depingantur. Mihi quidem Eugenius, vir doctus idemque placidus, qui omnes religiones et cultus fieri permittebat, nimium Arbogasti et Flaviano confisus atque obsecutus videtur, ita ut christianos idololatria permissa offenderet atque adeo Arbogastem Valentinianum II occidere sineret. Neque vero scriptores infensi crudelitatis aliusque facinoris, quae imperatores gerere solebant aut ullius immanitatis eum arguere possunt. Atque etiam imagine caesaris mollia ac docta quasi lineamenta oris ostenduntur. Officiis vero cum hic imperator omnino satisfaceret, et naturae bonitate et prudentia civili commotus christianorum animos et Ambrosii potissimum sibi conciliare studuit.

Itaque statim episcopum egregium, cuius fama etiam apud barbaros tum vigebat[1]) quique auctoritate plurimum apud christianos valebat, litteris ei missis propensum in se reddere conatus est. Ambrosium autem virum prudentissimum non fefellit condicio imperatoris, quantum ex aliorum voluntate atque ope penderet; numquam igitur ei amicus fieri potuit; primum quod necis Valentiniani II conscium eum esse credebat atque interfectoribus impune facinus mansisse et ne quaestionem quidem de illa re factam esse, aegre ferebat; deinde cum eum idololatriae faventem videret; denique eo, quod si illum familiariter excepisset, futurum esse praevidebat, ut a Theodosio disiungeretur; quod vitandum ipse putabat. Quamvis igitur Eugenio imperanti obsistere non posset, tamen aspectum eius viri fugit.[2]) Deinde epistulam misit ad Eugenium identidem memoratam; exprobravit ei veniam erga paganos; hortatus est, ut «ab sacerdote consuleret». Secessionis sibi causam timorem domini fuisse, aliud sibi non licere intellegere, aliud non oportere, nisi ut consuleret sibi, quia non posset illi credere modeste; certe diu se pressisse, diu texisse

1) Paulinus 30.

2) «Hoc ubi cognovit sacerdos derelicta civitate Mediolanensi ad quam ille festinato veniebat, ad Bononiensem civitatem emigravit atque inde Faventiam usque perrexit; ubi cum aliquantis degeret diebus, invitatus a Florentinis ad Tusciam usque descendit, declinans magis sacrilegi viri aspectum, non formidans imperantis iniuriam.» Paulinus 27.

dolorem; nulli quidquam intimandum putasse; dissimulare sibi nunc non licere, tacere liberum non fuisse. Ideo etiam in primordiis imperii illi scribenti non rescripsisse sese, quia istud praevidisset futurum. Denique reposcenti litteras, cum ipse non rescriberet, dixisse se: Haec, inquit, causa est, quod extorquendum ei arbitror. Hac epistula, etsi summisse «Clementissimo imperatori Eugenio» inscribitur, benignitatem ac benevolentiam erga principem illum manifestas fieri, nemo affirmet; postea quoque Ambrosii animum novo imperatori infensum fuisse, sequitur Mediolano eum cum Eugenius adventaret profectum esse atque illuc ex Tusciae partibus revertisse iam inde egresso Eugenio contra Theodosium; ibi etiam Ambrosium reversum adventum christiani imperatoris praestolatum esse, Paulinus tradit. Eugenio vero devicto eundem, quem «clementissimum imperatorem» appellaverat, «usurpatorem» eiusque ducem Arbogastem «barbarum latronem» nominavit (Ep. 61 ad Theodosium).

Ambrosio periculosior Theodosius erat. Eugenius vero, qui niti ac contendere debebat, ut Valentiniani II successor et legitimus imperii consors appellaretur neve tyrannus haberetur, brevi legationem ad Theodosium misit cuius participes christiani potissimum fuisse videntur. Nempe Rufinus II, 31 scriptor sacerdotes illi interfuisse dicit; praefuit illi legationi Rufinus quidam Atheniensis; ad quod Zosimus (IV, 55) adiungit: Ἀρβογάστου μήτε γράμματα κομίσας μήτε ἄλλην αὐτοῦ ποιησάμενος μνήμην. Arbogastes enim, quem in finibus versatum post videbimus, interfector Valentiniani habebatur; itaque ipsius consilio nomen eius, ne quis offenderetur, in illa re praetermissum videtur. Theodosium autem re vera coram legatis Arbogastem necis illius accusasse, a Rufino rerum scriptore demonstratur, qui sacerdotes modo memoratos eum innoxium esse testatos refert.[1]) Legati vero, postquam diu responsione consulto retardata retenti sunt, postea donis aucti

1) Quare denique aperte Valentinianum II Aug. per Arbogastem trucidatum esse demonstratur; Theodosius enim princeps peritus rerum civilium ac prudens, coram legatis Eugenii magistrum militiae eius Arbogastem facinoris accusat.

domum dimissi sunt; neque eis responsum perspicuum atque apertum datum est.[1])

Ita reconciliatione ad irritum redacta certamen de imperio inter Theodosium et Eugenium armis fore ut disceptaretur constabat. Theodosio vindicandae erant caedes fratris uxoris et usurpatio alterius; accedit quod cultum antiquum et superstitiones gentilium, in ipsius imperii parte nondum exstincta, in occidentali legitimam haberi religionem atque adeo christianae eam superiorem evadere ferre non potuit. Eugenium factio gentilium, quae Theodosii inimicum adversus se animum haud ignorabat ac rem prospere successuram expectabat, ad bellum gerendum impulit; praeterea, si Ambrosio (ep. 57, 11) utimur auctore christianos in occidentalibus partibus habitantes in Eugenium indignatione motos esse constat; quamobrem multos eorum clam cum Theodosio coniunctos fuisse credo.

Theodosius legatos alterius principis retinuisse videtur, ut bello parando et imprimis Gothis foederatis arcessendis operam dare posset; neque ab altera parte cessatum ac retardatum est. Non solum Flavianus studio Eugenii adiuvandi flagrabat, sed etiam Arbogastes magno cum exercitu ad Rhenum profectus est, ut Francis saepius incursantibus potentiam Romanorum ostentaret. Ex quo efficitur, fidum ac firmum exercitum Romanum in ducem fuisse, qui eum in devia Germaniae a viris fortibus occupata ducturus erat.

Hanc expeditionem iam anno 392 factam esse, e Sulpicio Alexandri dicto «eodem anno» cognoscitur. Dux ille audax etiam eo quod domi imperio Eugenii corroborando asperitate obstabat apudque Romanos homo agrestis ac ferox habebatur[2]), ad fines se contulisse videtur; eum vero non solum «gentilibus odiis» ut ait Sulpicius Alexander, sed etiam imperii defendendi causa Francos adortum esse, paucis verbis disseram.

1) «*Τοὺς δὲ πρέσβεις δώροις τε καὶ λόγοις ἀπαγαγὼν τὸ μέτριον ἐν ἑαυτοῖς ἔχειν δοκοῦσιν ἔπεμπεν ἐπ' οἴκου.*» Zos. IV, 57.

2) «Barbarum latronem» eum appellat (ep. 61). Ambrosius, neque minus Claudianus (VII. 63, 103): «Ferocem scelerum inventorem» et «Barbarum».

Fortuna bellica Arbogasti favit; contra Sunnonem et Marcomerem, subregulos Francorum, Colonia Agrippina profectus est «maxime hieme»; respuit igitur consuetudinem priorum ducum Romanorum, qui aestate vel autumno egressi erant. Sulpicius Alexander perspicue demonstrat, quomodo Arbogastes, dux prudens et omnium locorum ac recessuum populariium suorum gnarus hac in expeditione res gesserit. Omnia caede ac rapina incendiisque populatus est; non paludes omnibus glacie coopertis Romanorum pedes morabantur nec frons arborum insidiantes et fugientes tegebat.[1]) Qui tamen longius effugerant, ibi cum subito a sedibus suis excitati nihil alimenti contulissent, diu durare non poterant.[2]) Postquam vero comes victor hostium terras undique transgressus est, cum illis pacem ac foedus iniit.[3])

Hac expeditione effectum est, ut metu perculsi deterrerentur barbari, quominus e finibus egrederentur neve agrum Romanum invaderent. Eugenius autem, si cum Theodosio sibi pugnandum esset, ab illorum insidiis a tergo servatus erat. Deinde cum multi Franci socii exercitui Romano adiuncti sunt, tum legiones ibidem collocatae in aliis imperii regionibus adhiberi potuerunt; erant autem legiones fortissimae illae Gallicae, bello cum barbaris gesto adsuetae ac vetusta iam gloria nitentes; quarum opera Vitellius, Iulianus Apostata, ipse Eugenius imperium adepti sunt.

1) «Cum decursis foliis nudae atque arentes silvae insidiantes occulere non possent.» Sulp. Alex.

2) «Collecto ergo exercitu transgressus Rhenum Bricteros ripae proximos, pagum etiam quem Chamavi incolunt, depopulatus est, nullo umquam occursante, nisi quod pauci ex Amsivariis et Chattis Marcomere duce in ulterioribus collium iugis apparuere.» Sulp. Alex. Loca autem, ubi haec gesta sunt, inter Luppiam et Sigam flumina sita esse videntur. Copiosius de illa expeditione disserunt Dahn: Urgeschichte der germanischen und romanischen Völker. Tomus II et Wormstall: Ueber Chamaven, Brukterer und Angrivarier. Monast. 1888. pag. 10, 11, 15.

3) «Per idem tempus Arbogastes comes adversus gentem suam, hoc est Francorum, bellum paravit atque pugnando non parvam multitudinem eorum fudit, cum residuis vero pacem firmavit.» Paulinus 30.

Quo facto imperator Eugenius ipse «suscepto expeticionale procincto» ad Rhenum cum venisset, vetera foedera cum Alemannis et Francis inita renovavit gentibusque istis ferocibus immensum, exercitum ostentavit; ita comitis virtute auctus et nixus «collectis Gallorum et Francorum viribus» (Orosius VII p. 560) sperare potuit, fore ut imperium suum ratioque rerum publicarum moderandarum diu iam servarentur.

Scriptorum libri, quibus imprimis usus sum, hi sunt.

Eunapius Sardianus, ed. Boissonade. Amstelodamii 1822.
Zosimus, ed. Mendelssohn. Lips. 1887.
Socrates, ed. Migne. Paris. 1859.
Sozomenus, ed. Migne. Paris. 1859.
Epiphanius, ed. Dindorf. Lips. 1862.
Philostorgius, ed. Migne. Paris. 1858.

Symmachus, ed. Seeck. Berlin 1883. (Monum. Germ.)
Claudianus, ed. Jeep. Lips. 1876.
Aurelius Victor, ed. Krieger. Cassel 1818.
Ambrosius, ed. Migne. Paris. 1845.
Orosius, ed. Haverkamp. Lugd. Bat. 1738.
Rufinus, ed. Migne. Paris. 1856.
Augustinus, ed. Migne. Paris. 1845.
Prosper Aquitanus, ed. Migne. Paris. 1846.
Idatius, ed. Migne. Paris. 1846.
Marcellinus comes, ed. Migne. Paris. 1846.
Jordanes, ed. *Mommsen*. Berolinae 1882. (Mon. Germ.)
Gregorius Turonensis, ed. Arndt et Krusch. Hannoverae 1883 (Mon. Germ.)
Hieronymus, ed. Pitteri Venetiae 1730.

Typis Ios. Krickii, Monasteriensis.

DE

EXITU VALENTINIANI II AUGUSTI

ET

DE EUGENII IMPERII INITIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS KLEE

CAND. PHIL. ET HIST.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

Arnoldus Erouard, cand. rer. nat.
Henricus Weis, cand. phil.
Hubertus Schweth, cand. phil.

MONASTERII GUESTPHALORUM

TYPIS IOSEPHI KRICKII

MDCCCLXXXXII.

THESES CONTROVERSAE.

I. Prosper Aquitanus et Marcellinus comes falso Eugenium Tatiano et Symmacho coss. imperium usurpasse tradunt.

II. Valentinianus II. Aug. non sua ipsius manu, sed Arbogastis insidiis periit.

III. Arbogastes comes Francos non solum «gentilibus odiis», ut ait Sulpicius Alexander, verum etiam, ut imperium tueretur, adortus est.

IV. Numenium philosophum non, qui dicuntur, neoplatonicis, sed neopythagoraeis sophistis ascribendum esse contenderim.

V. Phryganeidae genus quoddam Neuropterum eiusdem originis videntur esse ac Lepidoptera.

THESES CONTROVERSAE.

I. Prosper Aquitanus et Marcellinus comes falso Eugenium Tatiano et Symmacho coss. imperium usurpasse tradunt.

II. Valentinianus II, Aug. non sua ipsius manu, sed Arbogastis insidiis periit.

III. Arbogastes comes Francos non solum «gentilibus odiis», ut ait Sulpicius Alexander, verum etiam, ut imperium tueretur, adortus est.

IV. Numenium philosophum non, qui dicuntur, neoplatonicis, sed neopythagoraeis sophistis ascribendum esse contenderim.

V. Phryganeidae genus quoddam Neuropterum eiusdem originis videntur esse ac Lepidoptera.

VITA.

Natus sum Hermannus Klee Confluentibus a. d. VI Idus Novembres anni huius saeculi LXVI patre Iohanne matre Margaretha e gente Martin. Matrem praematura morte mihi ereptam esse lugeo. Pater integris adhuc viribus utitur. Fidem profiteor catholicam. Testimonium, quod vocant, maturitatis in gymnasio Dusseldorpiensi assecutus per senos menses in academia Monasteriensi philologicis et historicis studiis operam dedi. Deinde in universitate Bonnensi per quater senos menses iisdem studiis me dedidi. Monasterium reversus ibidem per ter senos menses litteris vacavi. Bonnae me docuerunt: V. D. V. D. Buecheler, Usener, Nissen, Menzel, Dove, Wilmanns, Lamprecht, Wiedemann. Monasterii frequentavi scholas doctissimorum virorum Storck, Niehues, Langen, Stahl, Spicker, Lindner, Kaufmann, v. Below, Lehmann, Finke.

Omnibus, qui me docuerunt, imprimis Niehuesio, de me optime meritis, gratias ago, quas debeo, maximas.